

tuerit. (n. 392) Censetur autem *occulte petere* quotiens ea sunt petitionis adjuncta ut nullum sit infamiae vel scandali periculum, ex. gr. quia nemo adest praeter ministrum, quia adstant tantum aliqui pueruli nihil intellecturi, quia peccatum petentis jam notum est adstantibus. (S. Alph. n. 44)

IV. Peccatori occulto publice petenti denegari nequit sacramentum. (S. Th. 3. q. 80. a. 6) Ratio desumitur tum e fama peccatoris occulti, quae ei auferri nequit ob delictum occultum, tum praesertim e communibus damnis cum denegatione conexas: siquidem fideles, timentes ne sibi ob delictum occultum publice denegarentur sacramenta, ab iis removerentur.

Id tamen non est extendendum ad casum quo peccator occultus vellet sacramentum, praesertim Eucharistiam, sumere ad illud positive inhonorandum et significandum contemptum per illam indignam susceptionem: tunc enim videtur repellendus etiam cum infamia, tamquam injustus aggressor honoris sacramento debiti, perinde ac si Eucharistiam peteret ad eam pedibus conculcandam. (Lugo, l. c. 179)

124. **QUAER.** Num liceat *simulare* administrationem sacramentorum, ne haec conferantur indignis.

RESP. Distinguunt multi inter simulationem *formalem* et *materialem*, utriusque discrimen in eo ponentes quod in priore *intendatur*, in posteriore *permittatur* tantum deceptio suscipientis. Sed ad praxim magis accommodata videtur distinctio inter simulationem *proprie* et *improprie dictam*. Prior fit ab eo qui formam materiae applicat, sed sine intentione requisita ad conficiendum sacramentum; posterior ab eo qui materiae et formae substituit aliquid quod earum speciem referat, ex. gr. benedictionem absolutioni sacramentali. (Ball. P. n. 63) Jamvero:

1^o Simulatio *proprie* dicta semper est sacrilega. De hac procedit prop. 29^a damn. ab Innoc. XI: "Urgens metus gravis est causa justa sacramenti administrationem simulandi."

2^o Simulatio *improprie* dicta non est sacrilega: nam, deficiente materia et forma, non infertur injuria ritui sacramentali. Saepe tamen graviter illicita erit *ob* deceptionem suscipientis in re summi momenti, vel ob aliud malum *cum* ea conexum. Hinc:

3^o Numquam licet *hostiam* non consecratam pro consecrata, etiam consentienti praebere, vel celebrare Missam non proferendo verba consecrationis: nam in *utroque* casu saltem externe adorabitur merus panis, quod semper *vetitum est* perinde atque externe adorare idolum. Aliter dicendum si *dissimulatur* tantum negatio sacramenti, nempe si sacerdos,

S. Communionem daturus, cum aliquo conveniret se acturum esse perinde ac si sacram hostiam ei daret, reapse tamen nihil ejus ori impositurus. Id liceret ad infamiam vel scandalum vitandum, quamvis raro expediat. (S. Alph. n. 61)

4^o Licet confessario aliquam orationem et signum crucis proferre super indispositum, ne ejus indispositio prodatur. Probabile etiam censet S. Alph. (n. 59) posse proferri formam absolutionis, submissa voce interponendo *non vid. Ego te non absolvo* etc. Hoc ultimum tamen faciendum non videtur nisi cum prior modus non sufficeret ad metum vel incommodum vitandum: quod vix contingere potest.

5^o Licet, ob gravem metum, celebrationem matrimonii simulare. Urgente enim tali metu, contractus, saltem ex Ecclesiae lege, invalidus est (n. 490); deficiente autem valido contractu, deest materia et forma hujus sacramenti (n. 455) ac proinde nulla fit proprie dicta simulatio. Immo etiam qui ita fingeret contrahere, a mendacio quoque immunis foret, si ex adjunctis intellegi posset eum tantum externe consentire ut a metu liberaretur. (S. Alph. n. 62)

CAPUT III.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

§ I. DE REQUISITIS AD VALOREM SACRAMENTI.

125. I. Ad valorem sacramenti in adultis ratione utentibus requiritur *intentio* percipiendi sacramentum, saltem *habitualis*, seu olim habita necdum retractata. (Vol. I. n. 10)

Dicitur *in adultis ratione utentibus*: nam parvuli et perpetuo amentes absque ulla dispositione recipere possunt sacramenta quorum sunt capaces, vid. baptismum, confirmationem, Eucharistiam et ordinem, ut constat e traditione quae nobis voluntatem Christi sacramenta instituentis manifestat. Id speciatim de ordine declaravit Bened. XIV. (Const. *Eo quamvis*, 4 Maii 1745) Quatenus haec sacramenta licite eis conferri possint, dicemus agentes de singulis.

Requiritur in adultis ratione utentibus *aliqua intentio* suscipiendi sacramentum: nam, sicut adultus non justificatur sine proprio consensu (Trid. Sess. 6. c. 7), ita nec per sacramentum initiatur et consecratur

Deo, sine eodem consensu, si ejus sit capax. Hinc invalidum foret sacramentum quod aliquis reciperet per meram vim, animo omnino repugnante; validum, quod reciperet ob gravem metum consentiens, excepto matrimonio. (n. 490) Sic nullos effectus sacramentales produceret hostia consecrata, quam aliquis omnino inscius pro pane vulgari comederet. Sufficit autem, saltem generatim, *voluntas habitualis*. Nam, cum agatur tantum de beneficio accipiendo, sufficit libera acceptatio, quae in voluntate etiam habituali continetur. Hinc patet discrimen suscipientis a ministro in quo requiritur virtualis. (n. 112) Ipsum Rit. Rom. docet baptismum vel extremam unctionem conferendam esse moribundo sensibus destituto, si alii de praeterita ejus voluntate testantur.

II. Non ita constat num ad aliqua sacramenta, scil. poenitentiam et matrimonium, requiratur intentio perfectior quam habitualis, nempe virtualis (nam actuaalem, seu cum attentione conjunctam, minime requiri ad valorem omnes consentiunt).

Affirmat communis sententia, saltem de poenitentia: in qua requiruntur pro materia actus poenitentis qui non possunt haberi sine voluntate saltem virtuali recipiendi sacramentum. (S. Alph. n. 82)

Verum rationem hanc minime certam esse ostendemus (n. 263): quare incerta est et conclusio ex eadem deducta. Ad matrimonium quod attinet, quaestio est potius de nomine quam de re. Etenim, in ordinaria contrahendi ratione, certe requiritur intentio virtualis eo quod contrahentes, simul ac suscipiunt sacramentum, id comparti ministrant. Ubi vero per procuratorem vel sub conditione suspensiva contraheretur, fieri posset ut etiam dormientes sacramentum susciperent: quo in casu rectius videtur eorum intentio dum suscipiunt, vocari habitualis, quamquam aliqui (Lugo, disp. 9. n. 139) subtiliter conantur ostendere eam etiam tunc esse aliquo modo virtuaalem. Ex his patet non improbabiler aliquos (Van der Velden, Princ. Theol. Mor. t. II. p. 84) statuere: sufficere pro omnibus sacramentis voluntatem habituaalem.

126 III. Sufficit quandoque ad sacramenta valide suscipienda voluntas quam alii *interpretativam*, alii *rectius habituaalem implicitam* vocant. Haec in eo sita est quod homo *antea* habuerit, nec retractaverit intentionem generaalem suscipiendi, saltem in articulo mortis, ea quae ipsius saluti necessaria vel valde utilia *sunt*. Ita qui intendit religionem christianam amplecti, in hac generali voluntate implicite intendit baptismum, saltem urgente periculo mortis, suscipere. Pariter catholicus baptizatus, dum proponit generaliter in sua religione vivere et mori, implicite intendit in eodem periculo suscipere sacramenta quae catholicum morti proximum suscipere oportet, vel saltem decet.

Ideo, vi illius intentionis implicitae, nondum baptizatus, saltem urgente periculo mortis, valide baptizabitur, licet sensibus destitutus sit; catholicus, in eodem periculo et mentis statu, valide recipiet Viaticum, extremam unctionem, vel etiam confirmationem. (S. Alph. n. 82) De poenitentia res dubia est, propter controversiam modo (II) indicatam: certe non valeret, nisi, post peccata commissa, motus doloris elicitus esset. (n. 270)

Satis ambiguum est quinam dicendi sint habere voluntatem hanc implicitam *suscipiendi baptismi*, licet de eo nihil in particulari cogitaverint. Convenit inter DD. (Lugo, l. c. n. 130) sufficere ut quis religionem christianam corde amplexus sit, licet nihil de baptismo ejusve necessitate audierit. Controvertitur autem num sufficiat ea intentio generalis adhibendi media ad salutem necessaria, quae includitur in contritione vel attritione de peccatis commissis. Id plures, saltem ut probabile, affirmant (La Croix, l. 6. p. 1. n. 168), quia in hac intentione includitur votum servandi omnia praecepta, ideoque etiam suscipiendi baptismum. Quare opinantur judaeum vel ethnicum in periculo mortis baptizari posse, modo probabiliter judicetur habuisse saltem attritionem. Alii (Lugo, l. c.) idem omnino negant, tamquam ad absurdas consequentias ducens: quia qui in alia religione vivit eique adhaeret, nequit dici habere implicitam voluntatem amplectendi religionem christianam, sed ad summum examinandi ejus probationes eamque amplectendi, quando, examine instituto, ejus veritatem compererit. Ceterum praesenti quaestioni aliqua lux affundetur, dum (n. 150) tractabimus aliam affinem magisque practicaam, quae nonnumquam cum hac immerito confunditur, vid. quid requiratur ut liceat moribundo, praesertim sensibus destituto, baptismum ministrare.

127. IV. Ad valorem sacramenti nulla requiritur fides in suscipiente. Id Trid. (Sess. 7. de Bapt. can. 13) definivit de baptismo parvulorum; ex traditione autem et praxi Ecclesiae, idem de baptismo adultorum et reliquis sacramentis constat, excepta poenitentia, quae semper invalida est deficiente dolore supernaturali, qualis sine fide esse nequit. Hinc per se valide suscipiunt increduli baptismum, ordinem, matrimonium, etc.

V. Ad valorem reliquorum sacramentorum praerequiritur baptismus qui "vitae spiritualis janua est", (Decr. pro Armenis). Christus enim, ut e traditione et praxi liquet, reliqua sacramenta instituit tantum pro iis qui per baptismum membra Ecclesiae facti sunt, exclusis etiam illis qui per fidem et caritatem ad animam tantum Ecclesiae pertinent. (Lugo, de Euch. disp. 13. n. 3)

§ 2. DE LICITA SACRAMENTI SUSCEPTIONE.

128. I. Ad suscipiendum licite et cum fructu baptismum vel poenitentiam, praeter ea quae ad valorem necessaria sunt, requiritur et sufficit in adulto peccatore **attritio supernaturalis**. Huic necessario inerunt fides et spes, sine quibus justificatio obtineri nequit. Requiritur attritionem patebit e dicendis n. 270; eam sufficere, seu non praerequiri contritionem perfectam et ab ea inseparabilem statum gratiae, liquet ex ipsa natura illorum sacramentorum, quae a Christo instituta sunt ut conferant gratiam etiam primam et propterea dicuntur sacramenta *mortuorum*.

II. Ad reliqua sacramenta, quae *vivorum* dicuntur, praerequiritur **status gratiae**: quia a Christo instituta sunt ad dandam gratiam secundam seu augmentum gratiae. Duplici autem ratione reus peccati mortalis statum gratiae recuperare potest ut sacramentum vivorum licite recipiat: nempe per contritionem perfectam et per confessionem sacramentalem. Haec posterior ratio est semper securior ideoque consulenda, et ad Eucharistiam recipiendam necessaria, ut n. 192 dicemus.

Quidam casus, sane rarissimi, allegantur, in quibus liceret Eucharistiam in statu peccati mortalis suscipere, puta si sacerdos ad altare vel laicus ad mensam communicantium accumbens recordaretur peccati gravis a se commissi, nec posset conteri nisi interrumpendo sacrificium vel recedendo ab hac mensa cum proprii honoris jactura; item si hostia sacra in eo esset ut ab impiis profanaretur, neque suppeteret tempus contritionem eliciendi. A fortiori idem dicendum de ceteris sacramentis, si quando in similibus angustiis suscipienda essent. (S. Alph. n. 86)

129. III. Grave sacrilegium est suscipere sacramenta indigne: ita enim sacramenta privantur suo principali effectu ad quem significandum instituta sunt, scil. gratia sanctificante. (Lugo, disp. 9. n. 1)

Attamen sacramenta sic valide, sed illicite suscepta, quandoque *reviviscunt*, i. e. gratia quae, cum sacramentum conferretur, propter existentem obicem non est data, remoto postea obice, datur vi sacramenti jam collati. Id omnes, cum S. Th. (3. q. 69. a. 10), tamquam certum admittunt de baptismo sic fecte suscepto. Baptismus enim, vi characteris impressi, est quasi sacramentum manens, quod effectum suum semper exigit; aliunde, semel valide collatus repeti nequit. Propter similitudinem rationis, idem communiter admittitur de reliquis sacramentis characterem imprimendis, vid. confirmatione et ordine; immo etiam de extrema unctione quae, durante eodem periculo mortis, iterari

nequit, et de matrimonio quod in eodem conjugio semel tantum suscipi potest: a divina enim bonitate alienum videtur, fideles toto illo tempore privari gratia sacramentali. De poenitentia dubium est num possit esse simul valida et informis, seu gratiam non producat. (n. 275) Tandem de Eucharistia, quae crebro iterari potest, non videtur ratio sufficiens asserendi eam reviviscere. (Ball. P. n. 80 seqq.) Remotio autem *obicis*, quae condicio necessaria est reviviscentiae sacramenti, ita intellegenda est ut ponatur illa dispositio cujus defectus impedivit fructus sacramenti, ex. gr. fides vel attritio in eo qui baptismi fructus ob defectum fidei vel attritionis non percepit, contritio perfecta vel attritio cum poenitentia pro sacramentis vivorum (excepta extrema unctione), etc. Attamen si quis, post baptismum vel extremam unctionem sine fructu susceptam, nova peccata mortalia commisit, ad haec delenda requiritur pariter contritio vel attritio cum poenitentia. (Lugo, disp. 10. sect. 4)

130. IV. Qui ad sacramentum vivorum accedit, reus peccati gravis quod bona fide existimat contritione perfecta vel sacramento poenitentiae deletum esse, certe novum peccatum non committit, ut liquet. Quaestio autem inter summos Theol. controversa, haec est: num is qui cum hac bona fide habeat simul attritionem, assecutus sit remissionem peccati sui in susceptione non tantum extremae unctionis (quod certum est), sed reliquorum sacramentorum, et signanter Eucharistiae. Multi affirmant cum S. Alph. (n. 6), quia, juxta Trid. (Sess. 7. can. 6), sacramenta gratiam conferunt *obicem non ponentibus*; jamvero qui cum hac bona fide et attritione accedunt obicem non ponunt. Ita sentire videtur et S. Th. (3. q. 73. a. 7. et q. 79. a. 3). Alii tamen negant, quos citat et sequitur Lugo (disp. 12. n. 3), quia talis effectus esset praeter intentionem instituentis sacramenta vivorum ad gratiam augendam. Revera fatendum est rationem pro sententia affirmante debilem esse et quasi petitionem principii, cum ipsum peccatum mortale nondum remissum censi possit obex infusioni gratiae. Sed, etiamsi peccatum istud non remitteretur vi sacramenti suscepti, valde verisimile est eandem veniam obtentum iri per contritionem quam Deus concessurus sit, non quidem infallibiliter, sed ex congruitate, ei qui sacramentum vivorum, praesertim Eucharistiam, bona fide attritus suscipiat: quem sensum Lugo (l. c. n. 24) satis probabiliter tribuit loco S. Th. (q. 79. a. 3) mox citato.

V. Per se illicitum est sacramenta petere a ministro qui in iis conferendis peccaturus praevideatur: caritas enim postulat ne alii occasionem peccandi demus. Ob duplicem autem rationem **minister indignus** fieri potest: ob peccatum et ob censuram. Jamvero:

1^o Si minister indignus est ob *peccatum mortale* vel *excommunicatus* aut *suspensus toleratus*, licet ab eo petere sacramenta ex quavis causa, etiam non gravi, necessitatis vel utilitatis. Cfr. Vol. I. n. 233.

2^o Si minister est *excommunicatus vitandus* vel *nominatim et publice suspensus*, regulariter non tantum caritas obstat, sed positiva Ecclesiae prohibitio. Cfr. n. 583.

3^o Si minister est excommunicatus vel suspensus toleratus, per se licet ab eo petere sacramenta. (n. 583) Attamen, si simul esset notorius haereticus vel schismaticus, graviter illicitum esset ab huiusmodi homine recipere alia sacramenta quam quae in articulo mortis necessaria sunt. Id liquet e repetitis decisionibus SS. Congr. (Vol. I. n. 198), in quibus permittitur tantum ut in articulo mortis sacramentum poenitentiae a sacerdote schismatico recipiatur, " dummodo aliis fidelibus non praebatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem haereticum administraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiae. " (S. Inq. 7 Jul. 1864 ; Coll. P. F. n. 1845) Item pro baptismo non licet adire talem ministrum " nisi in casu extremae necessitatis, in quo non sit alius valens baptizare. " (Instr. datae a Pio VI de sacerdotibus intrusis Galliae, 28 Maii 1793) S. Alph. (n. 88) probabile censet licere moribundo accipere ab excommunicato vitando Viaticum et (si aliud sacramentum recipere nequiverit) etiam extremam unctionem. Attamen haec vix in praxim deduci possent sine scandalosa specie adhaesionis sectae falsae, quando a ministro publice haeretico vel schismatico talia sacramenta essent recipienda. In locis in quibus catholici vivunt permixti praepotentibus schismaticis, quandoque S. Sedes tolerat ampliorem communicationem in divinis ad vitanda mala majora. (Coll. P. F. n. 1823)

131. QUAER. Num liceat suscipienti sacramentum, extra necessitatis casum, sequi opinionem mere probabilem circa valorem aut fructum sacramenti, relicta tutiore.

RESP. Prior sententia communior (S. Alph. l. 1. n. 51) negat, quia reverentia sacramentis debita exposcit ut ea non exponantur periculo frustrationis. Allegant quoque prop. 1^{am} ab Innoc. XI. damn. (Vol. I. n. 68): licet enim haec prop. loquatur tantum de *conferente* sacramentum, par est ratio pro suscipiente, ad quem proinde virtualiter damnatio ista extenditur.

Nihilominus affirmant Sanchez (in Dec. l. 1. c. 9. n. 34), Vasquez (l. 2. q. 19. a. 6. disp. 63), Sporer (de Consc. c. 1. n. 57) aliique citati apud S. Alph. Nullam enim (aiunt) irreverentiam sacramento

infert qui in eo recipiendo sententiam probabilem sequitur ideoque prudenter agit ; sicut non laedit reverentiam divinis praeceptis debitam qui sequitur opinionem probabilem pro libertate. Neque e supradicta damnatione aliquid erui potest, cum non satis constet utrum ratio illius fuerit sola reverentia sacramentis debita an etiam caritas a ministro debita suscipientibus.

Priorem sententiam per se veriore putamus et in praxi tenendam, ubi facile plena certitudo pro mera probabilitate haberi potest, puta subjungendo peccatum certum peccato dubio in confessione sacramentali. (n. 261) Attamen regulariter licitum putamus uti opinione probabilissima de valore sacramenti, ut (n. 116) de ministro diximus. Insuper, ubi probabilitas versatur circa statum gratiae requisitum ad sacramenta vivorum cum fructu suscipienda, eam sufficere putamus. Nam moralis certitudo late sumpta, quae sola de statu gratiae haberi potest, vix obtinebitur ab eo qui peccatum mortale commisit nisi sacramentum poenitentiae suscipiat, ac proinde non sine notabili incommodo, ad quod subeundum non obligat reverentia sacramento debita ; per actum vero contritionis major tantum probabilitas obtinebitur, quae periculum frustrationis non auferet. Si quid amplius peteretur, jam practice fere nemo gravis peccati reus posset ad sacramentum vivorum accedere, praemisso tantum contritionis actu, nisi adhiberet diligentiam exquisitam. Ob hanc difficultatem, censem suscipientem nec temere, nec irreverenter agere, si mera probabilitate de statu gratiae contentus sit.